Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8138
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



bilis. alter primicerius. nolentes sacrificare ydolis
a decio occisi sunt. corpora eorum iuxta viam appiam sunt
posita. Depositio domini Alewini.

G Rome via salaria nat. s. Basille virginis martiris que 120
Christi. que cum esset ex genere regio et haberet sponsum
illustrissimum nomine Pompeyum. per beatam Eugeniam
et sanctos dei Prothum et Jacinctum conversa ad fidem.
accusata est a prefato sponso suo quod esset christiana.
Decrevit continuo Gallienus imperator qui tunc per se
quebatur Christi ecclesiam. ut aut sponsum reciperet. aut gla
dio interiret. Conventa de hoc. respondit se regem
regum habere sponsum. qui Christus filius dei est. Et cum hec
dixisset. gladio transverberata est. In gallis civi
tate nemauso. nat. Audely. qui a paganis deorum
suorum sacrificia celebrantibus comprehensus. cum sacrifi
care nollet. et in fide Christi immobilis inter verbera et
tormenta persisteret. martyrii palmam preciosa morte percepit.
Item Julie virginis. quam quidam infidelis potens ra
puit. Et cum sancta Julia ei consentire nollet. primo ala
pis cedit. 2o crinibus suspendit et flagellat. 3o
in crucis suspendi patibulo iubet. Illa autem in omnibus
hiis dominum ihesum christum cesum. consputum. flagellatum. cru
cifixum benedicebat. Et sic illa orante ecce eius anima
in columbe specie astra petit. et sic in patibulo crucis
feliciter in ihesu christo obiit.

A In mauritania cesariense. nat. sanctorum Timothei 121
poly. et Euticy diaconi. qui apud prefatam urbem
verbum domini disseminantes. pariter coronari merue
runt. Item apud Cesaream cappadocie nat. sanctorum
poliocti. Victory. Donati. In Affrica. Casti.
et Emily. qui per passionis ignem martirium consummaverunt.